

rerum prædam, quæ Vicentiam convehebantur, retulit. Hæc igitur tandem necessitas Mastinum adegit, ut paci jam totiens à se recusatæ consentiret. Convenit autem inter cetera, ut Ubertino Bassianum & Castrum Baldum redderentur : quæ sola reliqua ex agro Paduano hostes obtinebant, utque captivi utrinque relaxarentur. Sed & ceteri quoque belli hujus socii proprias quisque conditiones exegerunt; estque vigesima quarta die Januarii sequentis anni Pax publicata. Una præterea causa restabat ex hoc ipso bello nata, quæ tollenda videbatur. Nam uti in iis, quæ de Marsilio diximus, Guilielmus de Campo Sancti Petri odio à suis gentibus jam antea gravi dissidens, quod solet inter conjunctos esse gravissimum, id ipsum Castrum, unde appellabantur, quod Marsilius tunc obtinebat, noctu clam invaserat, & rebellis Dominis de la Scala, hostibus adhuc rebarat. Id nunc Ubertinus Marsili heres reddi expostulabat. Contentio autem ad vim juris referebatur; nam Marsilio quidem Tiso Novellus legaverat ; Guilielmus autem ex Tisonis hujus fratre genitus testamento avi, quod exstabat, hereditatem universam sibi depositebat. Super ea lite in Duxen Venetorum compromissum est, eique possessio loci tradita, ut apud sequestrum & dicendi juris & exequendi facultas esset. Sequenti igitur anno Franciscus Dani-dulo Venetorum Dux, cognitâ causâ, Ubertino Castrum cum jurisdictione sua, Guillelmo reliquam hereditatem adjudicavit.

Compositis autem, quæ foris necessaria visa sunt, ad domesticarum curam animum Ubertinus advertit. Igitur suscipiendorum liberorum gratiâ, quod in re familiarî primum debet propositum esse, de matrimonio cepit cogitare. Et sanè quo tempore Domini de la Scala Paduæ imperium habebant, coactus a Marsilio precibus & imminentis periculi metu, quod per potentiam illorum de Corrigia incumbere videbatur, Jacobinam Simonis de Corrigia natam desponfaverat, quam affinitatem cùm ne tunc sponte iniisset, dissolvere primum instituit, ut eo vinculo absolutus liberius nuptiis aliis vacaret ; quid enim absurdius, quam quacum semper victurus sis, eam parum animo gratam ducere ? Itaque cùm in judicio per Procuratorem litis probasset, metu se id admisisse, non libera voluntate (nondum enim eam traduxerat) Judicis sententiâ absolvutus est. Ut verò offendetur, quid in muliere potissimum desiderari debeat, Annam de Malatestis ex sola opinione prudentiæ, qua plurimū excellere apud omnes ferebatur, in matrimonio duxit, opes nihil exquirens, quas illa ne utique præstare tunc poterat, cùm per suorum diffensionem extra patriæ solum exularet. Ejus autem mulieris causâ bellum postea procul domo suscepit ; nam cùm ejus patrum Feratinum, Peruginorum, Forli-viensum, ac Ravennatum auxilio, Malatesta-senex intra Oppidum Mondainum obsideret, Ubertinus ob necessitudinem solam, quæ ei uxoris causâ cum illo erat, afflictis rebus operulit ; unum namque ex amicis Johannem de Sancta Cruce misit, qui conducto exercitu, atque unita cum Urbini Communitate belli societate, Feratinum, Oppidumque obsidione levavit. Subinde Veruchium Malatestarum antiquam sedem, ac pleraque alia Oppida vi cepit ; Pinnam quoque Sancti Marini munitissimum naturali locum habuit ; ac postrem cùm ad obsidendum Ariminum profecturus exercitus videtur, de pace convenerat, qua Malatesta, Ferati-

Tom. XVI.

A nusque de litibus omnique sua contentione in Opizonem Estensem Marchionem, & Ubertinum de Carraria compromitterent. Atque hic fit expeditioni finis.

Eodem anno cùm Urbs frumenti inopia laboraret, magnam vim ex Suevia convehendam curavit, eamque pretio multo viliori, quam ipse comparaserat, dari populo jussit. Quas ob res cùm esset summa & apud Cives benevolentia, & hostibus terrori, satisque & domi & foris tutus videretur, veneni tamen periculum ex insidiis pâne subiit ; habet enim potentum conditio, ut eorum pars magna gladio pereat ; qui verò gladii vim effugere valent, plurimi quidem veneno, vix pauci verò absque veneni opinione moriantur ; nulli certè, quod constat, absque veneni periculo vivant. Vitalianus namque filius Dentis, quem Ubertinus occiderat, ager ferens patris inutram esse tamdiu necem, ejusque percussorem patriæ principari, quem aperie non poterat, per insidas tollere aggressus est. Sciebat ei amicum ac familiarem eum Medicum quempiam Venetiis habitantem, à quo & curari aeger, & salutari sanus, & munuscula crebro ex ejus arte recipere consueverat, cuius servum, magnis datis, majoribusque promissis, de fide corrupti, induxitque, ut domini sui nomine plerasque veneno medicatas confectiones Ubertino perferret. Qui Paduam veniens cùm nequirit tam citò, uti speraverat, suscep-tum exequi munus, propterea quod Ubertinus morbo tunc affectus domi jacebat, ex mora metum incidit, ne forsitan aliunde sceleris emanarent indicia, & per cruciatu[m] à se veritas extorqueretur. Itaque mutato proposito insidas aperit, auctoremque criminis denunciat. Quæres postquam per Ubertini legatos Venetiis est palam facta, certaque fide cognita, Vitalianus, qui metu jam eò profugerat, exulare inde perpetuò damnatus est, ejusque bona, quæcumque inventa sunt, Fisco adjudicata. Sic igitur mutuis utrinque officiis multa cum Venetis amici- per severerabat. Ex Dominis verò Opizonem Estensem, Tadæum de Pepulis Bononiæ dominatorem, impenso studio sovebat. Itaque bis biennio præsentes convenere, primò apud Lendenarium, ubi etiam adsuere legati Florentinorum, societatemque inierunt, ut Tadæum in sua amplitudine ditioneque tuerentur, contra quem exercitus Luchini de Vicecomitibus, Mastini de la Scala, & Ludovici de Gonzaga, infestus veniebat. Iterum verò apud Rodigium, ubi multum diuque inter secreta consilia sine arbitris versati sunt. Et ei quidem, in qua primum necessitate Tadæus constitutus videbatur, celeriter ac magnifice succurrit Ubertius ; nam evocatum ex confini Germania Hengelmarium de Vilandres cum galeatis equitibus septiogenitis, Bononiæ properè misit, ubi ordinatis jam ad pugnam utrinque aciebus, signumque expectantibus, in ipso temporis articulo pax conuenit. Remissis itaque auxiliis, Hengelmarius splendide copiosè donatus ad propria rever-sus est. Opizoni verò, quocum multa illi familiaritas erat, obnoxie petenti, ut exiles quofidam revocaret in Urbe, gratificatus est. Quamobrem Nicolaum, & Marinum de Macha-ruffis, & Tenfelgardum de Malitiis ad gratiam, Civitatem, patrimoniumque restituit.

Atque ut in prænominiatos Dominos multa benevolentia propensus erat, ita illis de la Scala omni studio infestus adversabatur, eratque cunctis amicus, quos illis fecerit inimicos, & quicquid illi efficere tentassent, summa vi impedire